

1.3.53

Idem A. Hermogeni magistro officiorum.

Raptore virginum vel viduarum vel diaconissarum,
quae deo fuerint dedicatae, pessima criminum peccantes
capitis suppicio plectendos fuisse decernimus,
quod non solum ad iniuriam hominum, sed ad
ipsius omnipotentis dei irreverentiam committitur.

1 ¶ Qui itaque huiusmodi crimen commiserint et qui
eis auxilium tempore invasionis praebuerint, ubi inventi
fuerint in ipsa rapina et adhuc flagrante crimine
comprehensi a parentibus sanctimonialium virginum
vel viduarum vel diaconissarum aut earum
consanguineis vel tutoribus seu curatoribus,
convicti interficiantur.

2 ¶ Sin autem post commissum
tam detestabile crimen aut potentatu raptor se defendere
aut fuga evadere potuerit, in hac quidem
regia urbe tam viri excelsi praefecti praetorio quam
vir gloriosissimus praefectus urbis, in provinciis autem
tam viri eminentissimi praefecti praetorio per
Illyricum quam magistri militum per diversas nostri
orbis regiones nec non viri spectabiles praefectus
Aegypti et vicarii et proconsules et nihilo minus
viri spectabiles duces et viri clarissimi rectores provinciarum
nec non alii cuiuslibet ordinis iudices, qui
in locis inventi fuerint, simile studium cum magna
sollicitudine adhibeant, ut eos possint comprehendere
et comprehensos in tali crimine post legitimas
et iuri cognitas probationes sine fori praescriptione
durissimis poenis adficiant et mortis condemnent suppicio.

3 ¶ Bona autem eorum, si hoc commissum
fuerit vel in sanctimonialium virginem, quae in asceterio
vel monasterio degit, sive eadem virgo diaconissa
constituta sit sive non, eidem monasterio vel
asceterio, ubi consecrata est, addicentur, ut ex his
rebus et ipsa solacium habeat, dum vivit, sufficiens
et res omnes sacrosanctum asceterium seu monasterium
pleno habeat dominio.

4 ¶ Sin autem diaconissa
cuiuscumque ecclesiae sit, in nullo autem monasterio
vel asceterio constituta est, sed per se
degit, raptoris eius substantia ecclesiae, cuius diaconissa
est, adsignetur, ut ex his facultatibus ipsa
quidem usum fructum, dum superest, ab eadem ecclesia
consequatur, ecclesia vero omnem proprietatem
et plenam possessionem earundem rerum nostro habeat

beneficio: nemine vel iudice vel alia quacumque persona
hoc audente contemnere.

5 ¶ Poenas autem, quas praediximus, id est mortis et bonorum
amissionis, constituimus non tantum adversus raptore,
sed etiam contra eos, qui hos comitati in
ipsa invasione et rapina fuerint. ceteros autem omnes,
qui consciit et ministri huiusmodi criminis reperti
et convicti fuerint vel eos susceperint vel
quacumque opem eis intulerint, sive masculi sive
feminae sunt, cuiuscumque condicionis vel gradus
vel dignitatis, poenae tantummodo capitali subicimus,
ut huic poenae omnes subiaceant, sive volentibus
sive nolentibus sanctimonialibus virginibus seu
aliis supra dictis mulieribus tale facinus fuerit perpetratum.

D. XV k. Dec. Constantinopoli dn. lustiniano pp. A. III cons. [a. 533]